



Mosheim / Joh: Laur: / Diss. de Ecclesia
Christi, Helmst: 1740

v. Fassij / Christoph: Matth: / Diss.
de Coelo Beatorum, Tubinge
1722

Reudenij / Ambr: / Theses de
Symbolo Apostolico, Jene
1589

Diss. de Deo ac tribus
personis, Jene 1589.

5. Schmidt / Joh. Andr. / Mulier Hetero-
doxa, Helmst. 1697.
6. _____ Diff. de monumento
Abrahae, Helmst. 1702.
7. _____ Diff. ^{sistens} elinguatōs mysterium
trinitatis predicantes, Helmst. 1726
8. _____ Diff. de Armatura Spirituali
Helmst. 1701
9. _____ Diff. in qua Nova Oracula
Zachariani, Helmst. 1725.
10. _____ Diff. si inter Oraculum
a Rebecca consultum, Helmst.
1726.
11. _____ Diff. von todt Leben,
Helmst. 1735.
12. _____ Diff. de institutione
catechetica, Helmst. 1701
13. Schramm / Joh. Conr. / Diff. de Le-
per Angelos disposita, Helmst.
1738
14. _____ Diff. de fundamentis pa-
Religiosae, Helmst. 1726
15. _____ Diff. de agnitione Des-
He

16 Schrammij. Jon. Courf Diff. de
uno Deo Atyrorum ab Eaja
rejeeto, Helmft. 1734.

17. ————— Sistens pfalter pro
pheta de Vanis contra Christum
Dci filium Confilyi, Helmft. 1727.

18. ————— Sistens pfalter pro
pheta de Verbis ultimis Christi
morientis, Helmft. 1728.


19. ————— Diff. ad Apologiam
Augustane Confessionis, Helmft.
1737.

20. ————— Diff. ad Articulas
Smalcaaldicos, Helmft. 1736

21. ————— Sistens pfalter pro
pheta de precibus Christi
contra Maledictos, Helmft.
1728.

22. ————— pfalter propheta
de Majestate Christi redempto-
ris, Helmft. 1727.

23. Schrammij / Joh. Courj cogitationes
theologicae, de cogitationibus.
Helmst. 1727.
24. ——— Diff. de demonstrativa
Scripturam S. interpretandi Me-
thodo, Helmst. 1728.
25. Strubij / Henr. Julij / Diff. de
Catechismo Beati Lutheri
Helmst. 1614
26. Sity / Gerk / Diff. de gratuita
justificatione peccatoris,
Helmst. 1686.
27. ——— Diff. de papistico
Missa sacrificio, Helmst. 1688



3

THESES
DE SYMBOLO

APOSTOLICO INGE-
NERE, EODEMQVE MO-
do de primo eius Articulo, pro-
posita, auspice Pue-
ro Iesu,

A

D. AMBROSIO REVDENIO
PROFESSORE HEBRAEAE
Linguae, & facultatis Theologicae
Decano in illustri Aca-
demia Ienensi,

RESPONDENTE SAMVELE
Alberto Molauensi ad diem 18.
Ianuarij, Anni 1589.
hora, & loco
consueto,

IENAE

Typis Donati Richtzenhan,
Anno 1589.

THESES

DE SYMBOLO

APOTHEOTICORUM

IN ARTE MEDICINAE

DE QUANTO CUIUSCUMQUE

PODICI, SINGULI, QUOD

EST, ET QUOD

A

D. AMBROSIO RIVADENIO

PROFESSORE HEURABAE

LANGVIAE & EDITIONIS THEOLOGICAE

DECANO UNIVERSITATIS

HEURABAE

IN PONTIFICIA UNIVERSITATE

ALBERTO MALACOLLI S. S. T. P.

PROFESSORE

HEURABAE

VENIAE

THEOPHILUS RIVADENIO

HEURABAE

IN PONTIFICIA UNIVERSITATE



THESIS

I.

Sύμβολον, symbolū dictum ἀπό τῆς συνθέλλειν ἀ
 conferendo, primū significat, quicquid ā
 pluribus in unum confertur, atq; adeo ad
 convivium. Vnde pleriq; & quidem haud
 indocti, symbolum, & symbola conferre di-
 cere consueverunt.

II.

Quamvis non hoc neutro, sed fœminino *συμβολῆς*
 si fides veracibus habenda est exemplaribus, usi compe-
 riantur in hac significatione, qui nobis supersunt, præ-
 fertim comici scriptores, cum Græci, tum Latini.

III.

Etenim apud Athenæum Eubulus in Oedipode ait;

ὄσις δ' ἐπὶ δεῖπνον ἢ φίλον τιν' ἢ ζέον

καλέσασ' ἔπειτα σὺμβολὰς ἐπράξατο

φυγὰς γένοιτο, μὴ δ' ἐν ὄμοδον λαβῶν.

IV.

Hoc est, ut etiam in versione Latina propter aper-
 tiorem sensum, & faciliorem intellectum præmittantur
 proximè præcedentes duo iambici, retenta voce Græca,
 de qua nunc agitur, *συμβολῆς*; sed Latinis exarata literis;

Aliena qui cœnare primus repperit,

Mente populari præditus, opinor, fuit.

At qui vocatos ad suam cœnam hospites

Aliosve amicos symbolas poposcerit,

Sit ille profugus, efferens domo nihil.

V.

Ex Latinis eandem vocem quoq; placuisse, vide-
 mus, in hoc genere Plauto Stichī Actū 3,

A ij

Eò

eō condixi in symbolam

Ad cœnam, ac eius confervum Sagarinum Syrum.
Et quatuor interiectis versibus, symbolam dabo &c.

VI.

In Andria Terentij actu primo scena 1. de sen-
tentia quorundam haud contemnendorum $\delta\iota\sigma\delta\omega\tau\omega\upsilon$
scriptum invenimus:

Eho, quid Pamphilus? quid? symbolam
Dedit, cœnavit.

VII.

Sed, nē λογομαχίᾳ delectari, & bellum grammas-
ticale suscitare, néve ἐν τῇ συμβολῇ nimium μακροσύμη
βολοι(cum aliis paucis contingat, μακρὰς conferre συμ-
βολὰς, Theologis) esse videamur: de primo huius voca-
buli significatu plura in medium afferre nolumus.

VIII.

Quin potius dicamus, secundo loco hoc nominis
etiam accipi pro signo, nota, seu tessera militari quam
duces militibus dare solent: unde discernantur ab hosti-
bus. Quomodo Plautus ait in Pseudolo:

Miles hic reliquit symbolum,
Expressam in cera ex annulo suam imaginem.

IX.

Tum denotat γνῶμην, aut χρεῖαν: quam homines
magni, & eruditi semper habent in ore. Quemadmodum
Cicero scribit in epistola quinta libri tertij ad Q. Fra-
trem, se à puero adamasse illud Homeri: $\Delta\iota\epsilon\upsilon\alpha\rho\iota\sigma\epsilon\upsilon\epsilon\iota\nu$, καὶ
 $\upsilon\pi\epsilon\iota\rho\chi\omicron\nu\epsilon\mu\mu\epsilon\nu\alpha\iota\ \alpha\lambda\lambda\omega\nu$. Hoc est, semper optime agere,
& præstantiorem esse alijs.

X.

Hæ, quas iam breviter recensuimus, tres, proba-
torum

eorum auctorum perspicuis exemplis usitata significationes, apte, & congruenter propter similitudinem quamdam accommodari possunt ad nostrum, quod nunc tenendum est, institutum.

XI.

Siquidem Symbolum in Ecclesia ita appellatur: vel, quia ex varijs sententijs, quas singuli Apostoli dicuntur contulisse in commune, conflatum est; vel, quia est veluti nota, tessera, & professio, qua Christiani, tanquam milites, testantur, se soli Christo regi suo servire, seq; hac ratione ab hostibus, & omnibus alijs sectis esse discernendos: vel, quia hæc Confessio complectitur eiusmodi doctrinam, quam Christiani, instar pretiosissimi thesauri, semper circumferant, considerent, atq; expendant.

XII.

Nominatur verò hoc symbolum Apostolicum: sive, quia ab Apostolis, aut eorum discipulis collectum, & compositum est, & postea, quasi per manus universæ traditum Ecclesiæ, quomodo semper credidit veritas: sive, quia continet epitomen totius Apostolicæ doctrinæ, sicuti certissimo argumento est sanctissima illa confessio, quam Petrus in die Pentecostes, astantibus, & simul contestantibus reliquis Apostolis, habuit Actorum 2. 14.

XIII.

Idem symbolum quoq; non malè appellatur Catholicum, seu Oecumenicum ratione loci, temporis, & Christianorum: qui omnes hanc sinceram confessionem amplectuntur, & tuentur.

A iij

Augusti

XIV.

Augustinus inquit de symbolo Christianæ fidei :
symbolum comprehensio est fidei nostræ, atq; perfectio,
simplex, brevis, plena : ut simplicitas consulat audien-
tium rusticitati, brevis memoria, plenitudo doctrinæ.

XV.

Aut, si quis aliam desiderat definitionem, symbo-
lum Apostolicum est brevissima comprehensio articulo-
rum fidei Christianæ, Ecclesiam à reliquis sectis omnibus
æcuratè distinguens.

XVI.

Non autem dubium est : quin, propter præstanti-
am materiæ, convenientiam ordinis, & magnitudinem
utilitatis, author sit ipse Spiritus sanctus : qui ratione
officij eiusmodi docet, Iohan. 14. 26, & operatur, Gal.
5. 22.

XVII.

Et si enim ad verbum in libris veteris, ac novi Testa-
menti non reperitur scriptum, nec Lucas in Actis, aut
quisquam Apostolorū in suis epistolis eius compositio-
nis expressè facit mentionem : tamen communi patrum
sententiæ duodecim Apostoli, diuino afflati Spiritu, eius
perhibentur architecti, & machinatores.

XVIII.

Nec quidem, quantum nos iudicare possumus, in-
iuria : cum singulæ partes, ut diligens ostendit collatio,
cum doctrina Apostolorum, & totius sacræ scripturæ
vehementer, ac mirificè congruant.

XIX.

Profectò Doctores, qui tempus Apostolorum sta-
tim secuti sunt, non rarè quædam Symboli Apostolici
repetunt

repetunt verba: nec non ad id aliquoties brevibus allu-
dunt summis.

XX.

Exempli gratia, Ignatius Antiochenæ Ecclesiæ an-
tistes in Epistola ad Magnesianos hunc ad modum scri-
bit: Dilectissimi, ad plenum instructi sitis in Christo,
qui ante secula genitus est à Patre: Postea autem factus
est ex Maria virgine, sine colloctione viri, & nobiscum
conversatus sanctè, & sine querela: omnem infirmita-
tem, omnemq; laborem curavit in populo, & signa, atq;
prodigia pro beneficijs hominum fecit, & illis, qui longè
erant, & illis, qui propè: in multitudine unum, & solum
verum Deum Patrem suum annuntiavit, & passionem
pertulit, & ab intersectoribus suis Iudæis sub Pontio Pi-
lato præside, & Herode rege crucem sustinuit, & mor-
tuus est, atq; resurrexit, & in cœlos ascendit ad illum,
qui misit eum, & sedet ad dexteram eius, venturusq; est
in consummationem seculi in gloria Paterna, iudicare
vivos, & mortuos.

XXI.

Sic Iustinus Martyr in defensione pro Christianis
ad Antoninum pium fol. 115. inquit: Iesum Christum,
qui hæc nos docuit, & ad hoc natus est, quicq; in crucem
actus est, Pontio Pilato, cùm Tiberius imperaret, præto-
re, veri Dei Filium esse, accepimus, atq; in secundo loco
habemus, Spiritumq; propheticum in tertio, nosq; eum
rectè colere docemus.

XXII.

Irenæus tale compendium fidei Apostolicæ reci-
tat lib. 1. cap. 2. Ecclesia per universum orbem usq; ad fi-
nes terræ seminata, & ab Apostolis, & à discipulis co-

A iij

rum

rum accepit eam fidem, quæ est in unum Deum, Patrem omnipotentem, qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt: Et in vnum Iesum Christum Filium Dei, incarnatum pro nostra salute: Et in Spiritum Sanctum, qui per Prophetas prædicavit dispositiones Dei, & adventum, & eam, quæ est ex virgine, generationem, & passionem, & resurrectionem à mortuis, & in carne in Cœlos ascensionem dilecti Iesu Christi Domini nostri, & de cœlis in gloria Patris adventum eius ad recapitulanda universa, & recuscitandam omnem carnem humani generis.

XXIII.

Nihil iam, habita ratione breuitatis, dicemus de Tertulliano, Origene, Gregorio Neocæsariensi, & alijs: qui & ipsi, quomodo ex eorum probari potest scriptis, hæc capita religionis Christianæ per prædicationem Apostolicam tradita esse, testantur.

XXIII.

Ruffinus Aquileiensis, cui tribuitur symboli expositio, quæ hodiè inter opera Cypriani extat, & Hieronymi, ait: Tradunt maiores nostri, quòd post ascensionem Domini, cum per aduentum Sancti Spiritus super singulos quosq; Apostolos igneæ linguæ sedissent, vt loquelis diuersis, varijsq; loquerentur, per quod eis nulla gens extera, nullæ linguæ barbaræ inaccessæ viderentur; & in via præceptum eis à Domino datum, ob prædicandum Dei verbum ad singulas quasq; proficisci nationes. Discesuri itaq; ab inuicem normam prædicationis in commune constituunt: nè fortè alius ab alio abducti diuersum aliquid his, qui ad fidem Christi mutabantur, exponerent. Omnes ergo in vno positi, & Spiritu Sancto repleti

repleti breue istud futura sibi, vt diximus, prædicationis
indiciũ, conferendo in vnum, quod sentiebat vnusquisq;
componunt, atq; hanc credentibus dandam esse regulam,
statuunt.

XXV.

Hieronimus in Epistola ad Pammachium aduersus
errores Iohannis Hierosolymitani inquit: In sym-
bolo fidei, & spei nostræ, quod ab Apostolis traditum,
non scribitur in charta, & atramento, sed in tabulis cor-
dis carnalibus: Post confessionem Trinitatis, & veritatem
Ecclesiæ omne Christiani dogmatis Sacramentum
carnis resurrectione includitur.

XXVI.

Apud Ambrosium in sermone 38. De Ieiunijs &
quadragesima hæc extant verba: Ista autem ipsa clavis,
quam fidem dicimus, videamus, quemadmodum cons-
tet, quemadmodum solida sit: arbitror, illam duodecim
artificum operatione conflatam. Duodecim enim Apo-
stolorum simbolo fides sancta concepta est: qui, velut pe-
riti artifices in unum convenientes, clauem suo consilio
conflauerunt. Clauem enim quandam ipsum symbolum
dixerim: per quod referantur Diaboli tenebræ, vt lux
Christi adueniat: Aperiuntur conscientiæ clausa peccata,
vt iusticiæ fulgeant opera manifesta.

XXVII.

Augustinus quoq; in lib. 1. ad Catechumenos de sym-
bolo, ista verba, ait, quæ audistis, per diuinas scripturas
sparsa sunt: Sed inde collecta, & ad unum redacta: ne tar-
dorum hominum memoria laboraret: ut omnis homo
polsit dicere, & possit tenere, quod credit.

XXVIII.

Idem lib. 3. ad eosdem dicit: Sacramentum symboli,
B quod

quod accepistis, memoriaeque mandatum pro vestra salute
retinetis, noueritis, hoc esse fidei Catholicae fundamen-
tum, super quod aedificium surrexit Ecclesiae, constru-
ctum manibus Apostolorum, & Prophetarum.

XXIX.

Apud Epiphanium Marcellus quidam Episcopus in
litteris ad Iulium Episcopum syniboli verba recitat, & ad-
dit, se hanc fidem ex diuinis scripturis, & à maioribus se-
cundum Deum edoctum esse, & eandem se in Ecclesia
Dei praedicare.

XXX.

Sed ex his, quae iam commemorauimus, aliquo modo
intelligi potest: quidnam, censeamus, ex autoritate do-
ctorum Ecclesiae sentiendum esse de origine istius symbo-
li, quod usitate Apostolicum nominamus.

XXXI.

Pontificij in praefatione Catechismi Romani quaestio-
ne 12. hanc orthodoxam confessionem non dubitant su-
is annumerare traditionibus: quarum tamen praetextu
omnis generis idola, errores, & quaeuis noua dogmata
obtrudere, & defendere conantur: utcumque eas synodus
Tridentina sessione quarta decret. 1. sine villo discrimi-
ne contra mandatum Dei pari pietatis affectu, ac reue-
rentia cum sacra scriptura suscipiat, & veneretur.

XXXII.

Verum, quemadmodum traditiones Papisticae diui-
no contrariae sunt verborum in simbolo, quo de nunc agi-
mus, nulla extat dictio, nulla propositio: quae non sit Bi-
blica, & ἀνάλογος fidei.

XXXIII.

Ordo quoque de Deo, tribus Personis, & Ecclesia &c.
tam exquisitus, & accuratus est: ut nemo hominum,
quantumuis argutissimorum, qui natura nihil intelligunt

in rebus spiritualibus, meliorem adhibere queat, aut de-
beat.

XXXIV.

Quid dicemus de summis, quas affert, utilitatibus?
Certè, ubi diligenter attenderimus: deprehendemus u-
tiq; sex esse gravissimas causas: quamobrem symbolum
nostrum ab omnibus omnium locorum, & temporum
Christianis sæpe, multumq; repetendum, ac recitandū sit.

XXXV.

Primum enim commonefacit nos de Deo, tribus
personis, & præcipuis earum operibus ac beneficijs. De-
inde confessio est contra Diabolos, & eorum organa.
Tum assuefacit nos: ut cogitemus, & expendamus do-
ctrinæ testimonia, patefactiones nimirum Dei, & mira-
cula.

XXXVI.

Quartò, si mens est pia, eiusmodi recitatione fit ap-
plicatio beneficiorum Filij Dei. Quintò dulcis consola-
tio est in summis periculis. Sextò, inde intelligimus: quo-
modò Decalogi præceptis satisfacere possimus, & unde
tanta uis, ac virtus petenda, atq; impetranda sit.

XXXVII.

Nunc accedendum est ad divisionem: in qua usita-
tè pro parte vocabulo articuli uti consuevimus. Nam ut
corporis membra articulis distinguuntur: ita in hac fidei
Apostolicæ confessione, quicquid distinctè & separatim
ab alio credendum est, rectè, & appositè, per metapho-
ram tamen, articulus appellatur.

XXXVIII.

Verumenimverò quæstio oritur: in quotnam ar-
ticulos, sive partes, existimemus, symbolum Apostolis
cum commodè distribuendum: præsertim, cum diversæ
diversi assentiantur sententiæ.

B 2

Impu.

XXXIX.

Impudentes & perniciosi Antichristi Romani as-
sentatores, sicut videre licet in illorum impuris compen-
dijs, verius dispendijs Theologicis, secundum numerum
duodecim Apostolorum duodecim numerant articulos:
quasi singuli singulos, eosdemq; certos, in commune con-
tulissent aphorismos.

XL.

Sed, quia dubium & incertum hoc est, utpote non
desumptum ex sacris literis: ideò de illa, tot mem-
brorum partitione, cum illis non, censemus, litigandum.

XLI.

Nonnulli, amantes διχοτομίας, duo symboli consti-
tuunt capita: primum de Deo, secundum de Ecclesia
Dei: quòd hæc summam quandam doctrinæ Christianæ
contineant, atq; per uniuersam doctrinam præcipuè ex-
sent, atq; appareant.

XLII.

Verum Logica non dominatur, sed ancillatur Theo-
logiæ. Et quales distributiones invenit: tales etiam as-
sumit, & tractat.

XLIII.

Imò membratim instar victimæ dividamus (in-
quit in Platone Zeno) quoniam bifariam non possumus.
Oportet enim, in quàm proximum fieri poterit, nume-
rum semper dividere.

XLIV.

Non igitur ubiq; facile, possibile, & necessarium
est, subtiliter διχοτομῆν, & nimum ἀκριβολογῆν: si qui-
dem quoq; aliàs τὸ λίαν ἀκριβὲς σκωφάντα σοσιθεῖ.

Necq;

XLV.

Neq; iam in hac distinctione præcipue spectamus, & consideramus summam totius doctrinæ Christianæ, & quòd in ea subinde fiat mentio Dei, & eius Ecclesiæ: præsertim, cum de summaria (ut ita dicamus) comprehensione Theologiæ, & Catecheseos antea in alijs duabus dixerimus disputationibus, & Apostoli, aut eorum discipuli in hac confessione non solum Dei, & Ecclesiæ, sed etiam Patris, creationis, Filij, Spiritus Sancti, remissionis peccatorum, & aliorum locorum meminerint.

XLVI.

Itaq; cum tertio Elia, & Germania Propheta, nec non venerando patre, & præceptore nostro Dn. Doctore Luthero beatae memoriæ, Antichristicida, iuxta tres divinitatis personas in tres distribuimus articulos: primum de créatione, secundum de redemptione, tertium de sanctificatione.

XLVII.

Primus articulus de créatione, vel Patre creatore, sic habet: Credo in Deum, Patrem, omnipotentem, creatorem cœli, & terræ.

XLVIII.

Atq; dividitur in exordium, & rem ipsam. Exordium consistit in verbo πισέω, credo: cuius significatio ex illis, quæ mox sequuntur, elucebit.

XLIX.

Vbi tenenda est differentia inter has tres locutiones: credere Deum, credere Deo, & credere in Deum.

L.

Etenim credere Deum, est tribuere Deo essentiam, cumq; credere secundum omnia eius attributa: credere

Deo est, tribuere Deo veritatem, & assentire eius verbo. Credere in Deum est, firma fiducia in Deo acquiescere.

LII.

Itaque credo in Deum, hoc est, & novi verum Deum: & ei in uniuersa doctrina assentior: & omnem in eum colloco fiduciam, firmissimè statuens, Deum omnia, quæ ipsi attribuuntur, conferre ad meam salutem propter Filium.

LII.

Ceterùm hæc vox primum discernit fidem à noticia intuitiva: quæ res subiectas oculis contemplatur: Deinde constituit discrimen inter fidem historicam, & fidem Christianam.

LIII.

Tertiò distinguit inter fidem specialem, & generalem. Quartò confutat dubitationem Academicam, & Papisticam, quæ nullam certam assensionem, & fiduciam admittit. Quintò reiecit omnia idola: & testatur, nos certissimè fidere Deo, quem fides, tanquam correlativum, respicit.

LIV.

Catechismus Romanus præclare suo munere se functum esse, opinatur: ubi, tanquam ex tripode, dictat, credendi vocem assensionis vim habere, qua mens Deo, sua mysteria aperienti, assentiatur.

LV.

Ad quem modum & metaphisus Canisius, de hac volens agere materia, blaterat, fidem esse lumē, quo illustratus homo firmiter assentiatur omnibus, quæ Deus reuelarit, & nobis per Ecclesiam credenda proposuerit: sive scripta illa sint, sive non sint. Verum

LVI.

Verum vehementer errant hi mangones falso-
rum dogmatum, cum in fundamento, tum in termino ve-
rae fidei recte describendo, ac declarando.

LVII.

Quod attinet ad fundamentum, sive materiale, ut
in scholis nuncupamus, praeter omniam noticiam, quoque
omittunt, & repudiant fiduciam in promissionem de gra-
tuita remissione peccatorum propter Christum.

LVIII.

Imò conciliabulum Tridentinum sessione sexta cap:
IX. non veretur hunc praefigere titulum: contra inanem
haereticorum fiduciam: & in principio istius capituli com-
miniscitur, nemini fiduciam, & certitudinem remissionis
peccatorum suorum iactanti, & in ea sola quiescenti,
peccata dimitti, vel dimissa esse, dicendum esse.

LIX.

Quo impudenti mendacio architecti impostorum de-
cretorum contradicunt firmissimis testimonijs Biblio-
rum, & scriptorum Ecclesiasticorum, nec non uniuersa-
li omnium piorum experientia: in quibus uniuersis ac
singulis certissima fidei iustificantis fiducia sua habet fun-
damenta.

LX.

In termino audaces Antichristiani, ut inter
caetera videre licet in censura Iesuvitarum Coloniaensi,
& Andradio, fingunt, fidem versari circa universalia:

B. 4

Cum

Cum tamen eius obiectum sit, cum generale, tum speciale, hocq; tam principale, quam minus principale: quos modo suo, Deo iuvante, tempore patebit ex peculiaribus positionibus de fide posteriori verae poenitentiae parte.

LXI.

Ipsa porro materies primi articuli est doctrina de Deo, & Patre, prima persona diuinitatis, Vox DEI hic, ut & in symbolo Nicæno, accipitur essentialiter, ac, si diceretur: credo in unum verum Deum: qui est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Sed de DEO, elapsis paucis hebdomadis, adiuti diuino Spiritus Sancti auxilio, seorsum placide sumus disputaturi.

LXII.

Iam, quod reliquum est, Deo Optimo Maximo maximas agimus & habemus gratias, cum pro omnibus in nos collatis beneficijs, tum, quod, precedenti anno, meridioria largitus halcyonia, nostris studijs benedixerit, nosq; tutos praestiterit a multis & magnis periculis, in quae Diabolus, & eius organa pios libenter vellent adductos: precamurq; ab eodem ardentibus votis, & veris gemitibus, ut hunc quoq; annum, quem non ita pridem sumus ingressi, per & propter Filium suum, pro nobis incarnatum & ad celebrationem sui sanctissimi nominis, & ad uniuersae Ecclesiae, nostrorumq; omnium salutem illuxisse, patiatur.

ed 39
177



EO.-Bj. 2002

01 A 6727

ULB Halle

3

003 104 745



WA

Rha



cum hoc libello commercii est. Itaque ergò indignum Viro probo facinus est, libellum & quidem talem, qui Sociniana dicitur fovere principia, nobis imputare.

XIV. Cum Fratribus altercari & Ecclesiam, inconsultis litibus satis hactenus vastatam, novis disceprationibus lacerare, nec pietatis nec prudentiæ est. Non nostra hæc est consuetudo, nec eorum, qui pacem Ecclesiæ amant 1. Cor. XI, 16. Satius est, generoso silentio & piâ mente injurias qualvis proculcare & condonare. Nec sanè est, quòd novos Satanæ, quòd novos hostibus religionis veræ, qui dudum intestinas illas digladiationes nostras rident & nasus aduncis suspendunt, eachinos moveamus vel motos nuper sic augeamus.

XV. Tùm verò pessimè causam nostram ageremus nos, si & cum illis congrederemur, queis affectuum malè compositorum æstus, queis calami crassioris excessus, qui publicam animadversionem jam incurrit, queis convitia & calumniæ loco armorum sunt, qui ridiculo modo iudicium in nos privilegiumque infallibilitatis sibi sumunt, qui sententiam nostram ne intelligunt quidem, qui nullo veritatis sed avito rum saltem præjudiciorum studio tanguntur, queis curta admodum iudicii præstantioris solidæque scientiæ suppellex est. Haud enim verum pervidere valerimus, ubi hæc efficiunt. Sic verò &, quod diximus, in ipsi deducimus nova que ista iudicium terminant altercationi inconsultæ terminantur.

XVI. Quod restat, fortis est defendit. Injuriæ verò & calumniarum fumorum ad instar pereunt, nec egregiâ prorsus conscientia divinâque in Deo siti altampacem turbant.



ad 92

THESES
DE SYMBOLO
APOSTOLICO INGENERE, EODEMQVE MODO de primo eius Articulo, propositæ, auspice Petro Iesu,

A

D. AMBROSIO REVDENIO
PROFESSORE HEBRÆÆ
Lingvæ, & facultatis Theologicæ
Decano in illustri Academia Ienensi,

RESPONDENTE SAMVELE
Alberto Molauensi ad diem 18,
Januarij, Anni 1589.
hora & loco

